



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

LV. De corruptione naturæ, & efficacia gratiæ diviniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)



## CAPUT LV.

*De corruptione natura, & efficacia gratia divina.*

1. **D**omine Deus meus, qui me creasti ad imaginem & similitudinem tuam, concede mihi hanc gratiam, quam ostendisti tam magnam & necessariam ad salutem: ut vincam pessimam naturam meam, trahentem ad peccata & in perditionem.

Sentio enim in carne mea legem peccati contradicentem legi mentis meæ, & captivum me ducentem ad obediendum sensualitati in multis: nec possum resistere passionibus ejus, nisi assistat tua sanctissima gratia, cordi meo ardentem infusa.

2. Opus est gratiâ tuâ, & magnâ gratiâ: ut vincatur natura, ad malum semper prona ab adolescentia sua.

Nam per primum hominem Adam lapsa, & vitiata per peccatum, in omnes homines pœna hujus maculæ



culæ descendit : ut ipsa natura , quæ bene & recta à te condita fuit , pro vitio jam & infirmitate corruptæ naturæ ponatur , eò quòd motus ejus sibi relictus ad malum & inferiora trahit.

Nam modica vis , quæ remansit , est tanquam scintilla quædam latens in cinere.

Hæc est ipsa ratio naturalis , circumfusa magna caligine , adhuc judicium habens boni & mali , veri falsique distantiam , licet impotens sit adimplere omne , quod approbat , nec pleno jam lumine veritatis , nec sanitate affectionum suarum potiatur.

3. Hinc est , Deus meus , quòd condelector legi tuæ secundum interiorum hominem , sciens mandatum tuum fore bonum , justum & sanctum , arguens etiam omne malum , & peccatum fugiendum.

Carne autem servio legi peccati , dum magis sensualitati obedio quàm rationi.

Hinc



Hinc est, quòd velle bonum mihi  
adjacet, perficere autem non inve-  
nio.

Hinc sæpè multa bona propono,  
sed quia gratia deest ad adjuvandum  
infirmi-  
tatem meam, ex levi resi-  
stentia resilio & deficio.

Hinc accidit, quòd viam profe-  
ctionis agnosco, & qualiter agere de-  
beam, clarè fati-  
s video.

Sed propriæ corruptionis pondere  
pressus, ad perfectiora non assurgo.

4. O quàm maximè est mihi ne-  
cessaria, Domine, tua gratia ad in-  
choandum bonum, ad proficien-  
dum, & ad perficiendum!

Nam sine ea nihil possum facere:  
omnia autem possum in te, confor-  
tante me gratiâ.

O verè cœlestis gratia, sine qua  
nulla sunt propria merita, nulla  
quoque dona naturæ ponderanda!

Nihil artes, nihil divitiæ, nihil  
pulchritudo vel fortitudo; nihil in-  
genium vel eloquentia valent apud  
te, Domine, sine gratiâ.

R.

Nam



Nam dona naturæ, bonis & malis sunt communia: electorum autem proprium donum est gratia sive dilectio; quâ insigniti digni habentur vitâ æternâ.

Tantum eminet hæc gratia, ut nec donum prophetiæ, nec signorum operatio, nec quantalibet alta speculatio aliquid æstimetur sine ea.

Sed neque fides, neque spes, neque aliæ virtutes, tibi acceptæ sunt sine charitate & gratia.

5. O beatissima gratia, quæ pauperem spiritu, virtutibus divitem facis: & divitem multis bonis, humilem corde reddis!

Veni, descende ad me, reple me manè consolatione tua, ne deficiat præ lassitudine & ariditate mentis anima mea.

Obsecro, Domine, ut inveniam gratiam in oculis tuis: sufficit enim mihi gratia tua, cæteris non obtentis, quæ desiderat natura.

Si fuero tentatus & vexatus tribulationibus multis, non timebo mala, dum mecum fuerit gratia tua.



Ipsa fortitudo mea, consilium confert & auxilium.

Cunctis hostibus potentior est, & sapientior universis sapientibus.

6. Magistra est veritatis, doctrix disciplinæ, lumen cordis, solamen pressuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrice timoris, nutrix devotionis, productrix lacrymarum.

Quid sum sine ea, nisi aridum lignum, & stirps inutilis ad ejiciendum?

Tua ergo me, Domine, gratia semper & præveniat & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentum, per JESUM Christum Filium tuum. Amen.

### CAPUT LVI.

*Quòd nos ipsos abnegare, & Christum imitari debemus per Crucem.*

1. **F**lli, quantum à te vales exire, tantum in me poteris transire.

Sicut nihil foris concupiscere, internam pacem facit; sic se interius relinquere Deo, conjungit.

Volo te addiscere perfectam ab-

R 2

nega-